

SIMPLEX FORMA  
VERAE DOCTRINAE  
DE SATISFACTIO-  
NIBVS.

**T**Am nomen ipsum satisfactionis, quam eius definitio, de qua contendunt Sententiarij: Satisfactionem esse reconpensationem poenarum temporalium, quae debentur peccato ex diuina iusticia post dimissam culpam, & poenam aeternam, per opera indebita arbitrio Sacerdotis imposita, aut sponte suscepta, prorsus ignotae fuere sanctis patribus.

Ipsi enim lapsos post Baptismum in manifesta crimina tamdiu a communione arceri uoluerunt, donec specimen ederent suae resipiscentiae, & se ex animo dolere de admissis, & propositum nouae uitae publicae in facie Ecclesiae confessione testarentur, Et per impositionem manuum Episcopi, Presbyterorum, & aliorum Ecclesiae ministrorum absoluerentur: ut docet Tertullianus in libello de poenitentia.

Deinde consultum fuit uerecundiae confitentium, & unus ex presbyteris praelatus est poenitentibus, qui iuxta qualitatem criminum imponeret poenas praescriptas ab Episcopis: ut testantur Socrates lib. 5. cap. 19. Sozomenus lib. 7. cap. 16. Et Nicephorus lib. 12. ca. 18. Haec poenae uocabantur poenitentiae, & constitutiones de his editae, Canones poenitentiales.

A 3

Hos